



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De imitatione Christi, & contemptu omnium vanitatum mundi. Cap. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

*De consideratione humana miseria.*

*De meditatione mortis.*

*De iudicio & poenis peccatorum.*

*De seruenti emendatione totius vite nostre.*

XXI  
XXI  
XXI  
XXI

## CAPVT I.

*De imitatione Christi, & contemptu omnium vanitatum mundi.*

*Joan. 8.*

1. **Q**ui sequitur me, non ambulat in tenebris, dicit Dominus. Hæc sunt verba Christi, quibus admonemur, quatenus vitam eius & mores imitemur, si velimus veraciter illuminari, & ab omni cæcitate cordis liberari. Summum igitur studium nostrum sit, in vita Iesu Christi meditari.

2. Doctrina Christi omnes doctrinas Sanctorum præcellit, & qui spiritum haberet, absconditum ibi manna inueniret. Sed contingit, quod multi ex frequenti auditu Euangelij, paruum desiderium sentiunt, quia spiritum Christi non habent. Qui eum vult plenè & sapidè Christi verba intelligere, oportet vitam suam illi studeat conformare.

3. Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, vnde displiceas Trinitati? Verè alta verba non faciunt sanctum & iustum, sed virtuosa vita efficit Deo charum. Opto magis sentire compunctionem, quàm scire eius definitionem. Si scires tota Biblia exterius, & omnium Philosophorum dicta, quid totum prodesset sine charitate Dei & gratia? Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi soli seruire. Ista est summa sapientia, per contemptum mundi tendere ad regna caelestia.

4. Vanitas igitur est, diuitias perituras quærere, & in illis sperare. Vanitas quoque est, honores ambire, & in altum statum se extollere. Vanitas est, carnis desideria sequi; & illud desiderare, vnde postmodum grauius oportet puniri. Vanitas est, longam vitam optare, & de bona vita parum curare. Vanitas est, presentem vitam solè attendere, & quæ futura sunt non præuidere. Vanitas est diligere, quod cum omni celeritate transit; & illuc non festinare, vbi sempiternum gaudium manet.

5. Memento illius frequenter prouerbij: quia non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu. Stude ergo cor tuum ab amore visibilium abstrahere, & ad inuisibilia te transferre. Nam sequentes suam sensualitatem, maculant conscientiam, & perdunt Dei gratiam.

*1. Cor. 1.  
Eccli. 1.*

*Ibidem.*